



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Fouillon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Non innitendum hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

dum: ova esse aliena, quæ à perdice incubantur, pullis exclusis ad veræ matris clamorem abituris, & novercam relieturis.

IX.
*Non inni-
tendum ho-
minibus.* Demus nihilominus industriam nobis & sapientiam, quâ regamur, non deesse: sed quid possumus, folia quæ vento rapiuntur, tenuis pulvisculus minimo flatu avolaturus? Fidis tibi, fidis alteri cuilibet, quicumque ille sit tandem, homini fidis, qui affectu mutabilis est, conditione instabilis, corpore fragilis, animo imbecillis, ad extremum mortalis. Fidis illi, quem, uti Pharaonem, ranæ & culices subigent; uti Nabuchodonosorem, insomnia terrebunt; uti Holofernem, mulierculæ manus afferet: quibus dici potest, quod Isaïa cap. 1. Erit fortitudo vestra, ut favilla stupat: aut quod apud eumdem cap. 36. Ecce confidis super baculum arundineum istum, super Aegyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam. Poëtz Græci & Latini celebre nobis exemplum, vanissimæ & infirmissime illius

OPTIMÆ CONSENTIENS.

171

illius potentia, ostendunt in Priamo, cui
Quinquaginta intus thalami, spes tantanepotū,
ruentem familiam non suffulsere. Illu-
strios longè habes in Gedeonis filiis sexa-
ginta novem, Judicum cap. 9. & septua-
ginta Achab liberis, libro 4. Reg. cap. 10.
quos una dies abstulit, spemque poste-
ritatis præcīdit. Sæculo proximè præteri-
to, Margareta Lotharinga, Alensoniam
Dux, patre, fratribus, marito, liberis
innixa, ante tricesimum ætatis annum
luxit quinies & decies funera suorum, &
dolore suo didicit, spes in fragili & lubri-
co non ponendas. Itaque postquam toties
atrata incesserat, pro symbolo deinceps
sumpsit Ecclesiastæ intercalaria verba,
Vanitas vanitatum, sive, ut Augustinus
legebat, *Vanitas vanitantum*. Sæculo no-
stro, Joanna Francisca Fremiota, cui
Director optimus B. Franciscus Salesius
nomen Philothææ fecit, post mariti Chan-
talii toparchæ mortem, patris, socii,
generi, filii, filiæ, aliorumque affinium
funera spectata, aut audita, novissime
ipsum animi sui carissimum patrem absens

H 2

amic.



amisit, vixitque vitæ suæ superstes, ut unius
Providentiæ divinæ, quod avebat, inniti-
assuerteret, nosque exemplo suo doceret.

x. Psalmo 30. Vates Regius, *O disti,*
Vana re-
fugia. *inquit, observantes vanitates, id est*
idola, supervacuè, absque ratione
& utilitate ullâ. Augustinus in eum Psal-
mum, hæc verba ad inanitatem humanæ
fiduciæ trahens: Speras, inquit, in pecunia?
Observas vanitatem. Speras in honore & su-
blimitate aliqua potestatis humanæ? Obser-
vas vanitatem. In his omnibus cum speras,
aut tu exspiras, & ea hic dimittis: aut cum
vivis, omnia pereunt, & in spe tua deficis.
 Idem in Psalmum 46. explicans hæc ver-
 ba: *Deus noster, refugium & virtus, adjutor*
in tribulationibus: Sunt, inquit, quedam
refugia, quo quisque cum fugerit, magis in-
firmatur, quam confirmatur. Confugis, ver-
bigratiâ, ad aliquem in seculo magnum, ut
facias tibi potentem amicum, refugium tibi
videtur... Multi cum ad talia refugia confu-
*gissent, carentibus illis, ad quos confuge-*rant, & ipsi quæsiti sunt, quos nemo quære-**
ret, nisi ad talia configissent. Non est refu-
gium